

Hi  
1498

DE VOTIS  
SENTENTIAM BREVITER EXPONIT,

*Simulque*

VIRO  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO *que* DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO  
SOMMERO,

Secretiori scribæ Confilii Aulici, Amplissimi Ordinis  
Senatorii Collegæ,

*Ejusdemque*

Quæstori longe dignissimo;

*Patrono suo maximo pietatis cultu*

*presequendo,*

Nominalia prid. Id. Maji 1741.

*sancto redemptia,*

Officiossime gratatur

M. DANIEL GOTTLOB GERSTENER,

DRESDÆ, literis CRUSIANIS.

11  
UNIVERSITÄT  
DRESDEN

UNIVERSITÄT  
DRESDEN  
HALLE  
(SALE)



Um crebra in codice divino mentio fit facta votorum, & quidam nostratium illis sese obstringere soleant, opera pretium omnino duximus naturam illorum aliquanto curatius perpendere, atque evolvere. Quo felicius vero negotium hoc succedat, necessum omnino erit, definitionem voti exhibere, quod, ni fallor, sic describendum foret: *Votum est promissio libera, de re licita & possibili, ab homine sui juris, ut Deum colat, facta.* Non ignoramus, quod gelosen in B. Lutheri translatione nonnunquam de sola promissione accipitur, quo sensu 2 Reg. XIII. 23. Luc. XXII. 5. occurrit: plura tamen inveniuntur loca, in quibus notio, quam declaravimus, adhibenda est. Ne vero quis obscuritatis nos arguere possit, verba, quibus in definitione usi sumus, uberius explicabimus. *Promissum* appellamus, sermone, quo nos aliquid alterius intuitu praestituros aut omitturos affirmamus. *Libere* vero agit, qui non solum principium agendi in se habet, sed etiam bene scit se agere. *Rem deum licitam* dicimus, quae cum legibus non pugnat; *possibile* e contrario, quae vires non transcendit. *Homo sui juris* porro erit, cuius actiones non dependant ab altero. Et quid tandem sit *colere Deum*, intelligimus, si cum cl. Schuberro Philos. pract. §. 736. cultum describam per complexum actionum, quarum motiva sunt divinarum perfectionum cogitationes, quam dilucidius scholio adjecto explicavit.

Hi rivuli sese longe lateque effundent, & nobis sufficit impraesentiarum, si quasdam propositiones ex illis deducam, quarum gravitatem paginae sequentes ostendent; Quis igitur inficias ire poterit; 1) *Votum esse pactum*, 2) *Ejus objectum esse rem licitam & possibilem*, 3) *votentem rationis usu gaudere oportere, nec non 4) hominem sui juris, uti & 5) attendere, quo Deum hoc facto colat.* His propositionibus utemur in sequentibus.

Dein annotandum venit discrimen *voti validi & invalidi*, quod *caelicum* antiquis audit: illud jam descriptimus, hoc vero vitium habet, ut, vel sit coactum, vel res illicita aut impossibilis, vel factum ab homine non sui juris, aut ratione non utente, vel cultum Dei impediatur atque obscuratur. Prius pacti locum obtrinebit, *votens* enim asserit, se aliquid Dei causa praestitutum aut omittitutum, Numen hoc acceptat, hoc est declarat, se idem velle, (eo enim consilio creaturas racionales produxit, ut omnes earum conatus ad gloriae divinae amplificationem tendant,) adeoque consentit; *consensus* vero paciscentium ratione utentium efficit pactum, adeoque *votum validum est pactum*. De pactis nunc autem perpetuum & sanctam habemus legem, quod sint servanda; Adeoque & *votum validum erit servandum*. Interim hic annotare licebit, quod nemo Deo quidpiam promittere possit, ad quod non jam obligetur, saltem imperfecte; Exinde vero cognoscimus *votum tantum reiterationem novumque vinculum pristinae esse obligationis*. Porro quamvis votum, de valido loquimur, pacti naturam induit, & nos ad possibilem pacta omnino obligemur, *ad impossibilia & illicita plane nulla datur*. In utroque enim casu Deus, auctor omnis obligationis, contradictoria velle, id quod nullo modo fieri possit, priori sc. physice, posteriori moraliter impossibilia. Probe deinde hic attendendum censeo, an legibus divinis, atque veritatibus in scriptura sacra contentis contradicat, aut utrum humanis tantum mandatis repugnet, cum numinis iusto luctantibus. Quodsi enim lex divina & humana conspirant, saltem non secum invicem pugnant, & factum contra superioris iussa commissum moraliter impossibile erit.

Denuo cum votum non vitiatum sit pactum, quod supra ostendimus, necessario ad id requiritur consensus mutuus, qui est voluntas plurium, ad ejusdem objecti existentiam tendens, & voluntas praesupponit intellectum; voluntas vero & intellectus constituunt ens ratione praeditum, sequitur *votentem usque debere rationis usu gaudere*. Hinc rationem vides, cur dixerimus votum esse promissionem liberam. Nulla enim datur libertas, nisi simul addit usus rationis.

Da.

Datur tamen casus, in quo quis ratione instructus minime pacisci, adeoque neque vovere potest. Sunt enim homines non sui juris, qui in aliqua vivunt societate, quorumque actiones vel omnes, vel quaedam ab alio pendent, cumque facultate paciscendi priventur, excluduntur earum etiam a potentia vovendi. Si tamen voluntas superioris accedit rei jubendo, vel connivendo, votum eorum fit validum.

Finis voti, adeoque hujus pacti, est cultus divinitus seu manifestatio gloriae divinae, cum vero semper obligemur media fini convenientia eligendi, vovens curatius proficium, an actio vovenda aliquid, conferat ad gloriae summi numinis illustrationem, quantumque per illam amplificetur. Licetne vero vota pro alterius felicitate concipere? Omnino, nos enim obligati sumus ad omnium hominum amorem, adeoque & amicorum, & quo arctior est conjunctio animorum, quoque plura & majora beneficiorum genera in nos redundant, eo fortiora adsunt motiva alterum diligendi. Multitudo autem motivorum gravitat obligationem, & felicitatem alterius quovis modo auctam postulat. Nos igitur cum paucissima alteri commoda exhibere possimus, sed ea potius a fortuna nexu plerumque pendeant, hincque in Deo rationem sui habeat, Deus efflagitandus erit, ut felicitas alterius ab eo cura habeatur, id vero non aliter fieri potest, quam illum colendo, colitur autem voto valido, patet itaque & vota pro altero concepta esse licita & bona. Ulterius, quoniam vota cultum Dei respiciunt proxime, hincque tantum ad officia imperfecta pertinet, atque per pactum mutantur in perfecta, per votum officia imperfecta sunt perfecta.

Deicendamus nunc ad specialiora, atque perpendamus nonnulla votorum genera, quae partim in ecclesia Romana, partim in nostris caeteribus, partim apud Romanos olim animadvertuntur, & in moralitatem illorum inquiremus. Primo loco loquemur de equitibus sacrorum ordinum, quos Romana ecclesia passim alit, quique fere omnes spondent, se viduarum & orphanorum causam agere velle. Non multus ero in eis enumerandis, & unus sufficiet scilicet B. V. Mariae, quam voce Italae *Madonna* appellant. Nec iniuste faciunt, qui huic sese obstringunt, cum enim viduae & orphani sunt defendendi atque juvandi, id quod alio loco atque tempore probavimus, nullas video rationes, quare hanc rem illicitam atque impossibilem pronunciemus? Cumque res licita atque possibilis, modo cetera adsint essentialia, votum vitare non solet, votum hoc pro justo & valido habemus.

Hoc vero nos ducit ad Melitenses equites, qui fingulare quid promittere solent, quod nempe perpetuum bellum contra Turcas gerere velint. Acerba satis Gallus quidam Mich. de Vassor in histoire du Regne de Louis XIII. T. III. p. m. 198. verba scripsit, arguens eos, quod Jus Naturae & praecipua quaevis pietatis prorsus pedibus concussent. Paulo duriora sunt quae profert. Jus illud sanctissimum nulloque modo violandum permittit, imo praecipit, ut quisvis sese contra hostem omni ratione tueri & illum quoque imprudentem ubique laceffere queat. Quisnam autem ignorat rem publicam Algerianam, Tripolitanam atque Tunetam nunquam interrupto conatu contendit, quo Christianis praecipue sua eripiant vi atque armis, & perpetuo sese hostes istorum factis declararint pene innumeris. Turcarum Monarcha sancte olim jam promissit, se res publicas contra aliorum impetus fore tuiturum, auxiliumque omni tempore laturum, adeoque consilia eorum probavit, consensumque praebuit. Turcarum igitur Tyrannus eodem modo gentes christianas violat, quo praedatores isti, & eodem loco merito habetur. Minime itaque praedatorum in numero esse numerandos censeo, qui Turcarum aequae ac Algerientium reliquorumque barbarorum negotiatoribus insidiantium navigia capit, aut fugat cum illi prius jus omne neglexerint, & hoc pacto statu naturali exciderint.

Et nostrates quoque vota crepare solent. Ad tria potissimum nomenta ea omnia redibunt nempe aut jejunium promittunt, aut coelibem vitam agere spondent, aut denique filium non nunquam diu desideratum certo vitae generi destinant. Quod ad primum atinet, observamus jejunium abstinentiam esse vel omnis, vel laurioris cibi & potus, & plerumque cum meditatione perfectionum divinarum conjungi. Scimus omnes tritum illud proverbium: ventrem plenum non lubenter studere ac minus idoneum esse veritates abstractas, liceat philolophorum lingua uti, rimari. Sed quando per-

FKT: 1498 X 313 3914

perpendimus dari homines, quorum stomachus latret, nisi perpetuo adimpleatur, & jejunos stomachus non minus ineprus ad labores, medium utique teneamus necessum est, & quivis probe perpendat, utrum jejunio meditationem augeat vel interrumpat. Alterum concernit conjugium quod societas maris est atque foemellæ prolis procreandæ causa inita. Nec nos later, obligationem matrimonii contrahendi non esse univrsalem, sed ad eos tantum pertinere, qui & facultate physica & morali gaudent, adeoque infantis actiones dirigere salutemque eorum promovere possint qualibet ratione. Siquis igitur liberos ex uxore tollere, sublato alere, de aliorum salute prospicere possit, ille quidem interne & imperfecte obligatur ad conjugem eligendam. Quodsi autem status ejus aliud postulare videtur atque ingenium, prætereaque ab omni libidine alienus est, non peccat, cum non perfecto jure ad id compelli queat. Contracto matrimonio nonnunquam vota concipiuntur, præcipue cum mater familias Hannæ desiderium repetit: Jehova, si meam ancillæ tuæ miseriam respexeris, meique non oblitus, sed memor, mihi virilem sobolem dederis, eam ego Jehovah in omnem ejus vitam dedam, nec ejus capiti admovebitur novacula. i. Sam. I, ii. Licet quandoque absurda sint priora duo vota & Titio atque Cajo impossibilia, hoc tamen maxime absonum judicamus, sequenti ratione inducti. Quis enim ignorat, certum vitæ genus & cerram animi & corporis dispositionem postulare, sine qua sine suo aut nunquam, aut difficulter admodum potietur, cumque incertum profus sit, quibusnam facultatibus sit instructus, & annon hæc potius voto contrariantur, absonum erit sine mediis, saltem notis, sine potiri velle: Præcipue cum omnes fere ordinem sacrum amplectantur ob honorem, qui comitari illum solet, non vero, propter studium gloriam summi numinis pro virum modulo augendi. Hæc breviter dicta sufficiant de votis, quæ nonnulli sese obstringere voluerunt.

Restant vota pro salute alterius suscepta, quæ apud Romanos occurrunt, minimeque continentenda sunt. Pia & laudanda omnino consuetudo erat Imperatorum atque Cæsarium felicitatem curæ cordique habere. Audiamus Plinium Secundum testem sat locupletem, qui in Epp. L. X. 101. scribit Imperatori suo Trajano: *Vota, Domine, priorum amorum, nuncupata alacres lætique persolvimus, novaque rursus curante commilitonum & provincialium pietate suscepinus*; &c. Addo Suetonium huic æqualem, in Augusti Octavii c. 69. vita differentem: *Nonnulli testamento caverunt, ut ab heredibus suis, prælato victimæ titulo, in capitulum ducerentur, votumq; pro se solveretur: quod superstitem Augustum post se reliquissent.* Piam certe hac in re gentem! In principem enim tutela gentis suæ & a populo & a summo numine translata est, sub cujus auspiciis, quivis secure rem suam agere potest. Tolle principem, tolle magistratus, & sublata penitus erit quies omnis atque tranquillitas. Nonne experientia lugubri exemplo nos hoc edocuit? Unde tot tumultus, unde clangor tubarum, strepitus armorum, gladii cruenti, horridus tormentorum fragor, amplissimorum positio castrorum, campus cadaveribus ubique reclusus atque cruore rigatus? Mors Caroli VI, præmatura hæc Germaniæ vulnera inflixit, has calamitates effecit. Pia itaque pro Augusto nostro desideratissimo patriæ patre concipiamus, nuncupemus, solvamus vota, quo pacis & justitiæ fructibus & post hæc nos frui queamus tuti.

Neminem tamen post principem magis colendum esse credo, amicis, quorum primi parentes atque patroni jure meritoque habentur. In Te, Vir, Prænobilissime, Amplissime, Consultissimè, veneror *Favorem atq; Maceratem perpetuo studio observandum, pro cuius salute & felicitate mihi hodie, Nominalibus Tuis auspiciatò redeuntibus, vota suscipere liceat.* Affigemus illa, pace Tua, Vir, Amplissime, publico loco! Quodsi Deus omnium rerum creator, atque providus conservator, nova & diuturna *Sommerianæ Genti clarissimæ benigntatis documenta exhibet, caput familiæ tot virtutibus explendescens sospes salignitatis documenta exhibet, curiæque, cujus umbra nos quoque per tria fere lustra refrigeravit, vumque tuetur, decus insigne servat, filios in patriis artibus feliciter institutos, paternarumque virtutum hæredes albæ gallinæ filios facit, præcipueque in alta rupe locatum fortunæ, que bonis cumulatum fovet, & novis insuper auget; Nos rei, inquam, erimus voti nostri, immo damnati, ut summum numen ardentissimis extollamus precibus, gratoque animo sapientiam & bonitatem divinam, licet minus facundo ore, ubique locorum prædicemus.*

\* \* \*

mc

7. X. 117/78

Hi  
1498

DE VOTIS  
SENTENTIAM BREVITER EXPONIT,

*Simulque*

**VIRO**  
*PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-*  
*SIMOque DOMINO,*

**DOMINO**  
**CHRISTIANO**  
**OMMERO,**

*ribæ Confilii Aulici, Ampliffimi Ordinis*  
**Senatorii Collegæ,**

*Ejusdemque*

*Quæstori longe dignissimo;*

*trono suo maxumo pietatis cultu*  
*prosequendo,*

**Nominalia prid. Id. Maji 1741.**

*fausto redeuntia,*

**Officiofiffime gratatur**

**DANIEL GOTTLÖB GERSTENER,**

**DRESDÆ, literis CRUSIANIS.**

